DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
SISTENS

OBSERVATIONES QVASDAM MEDICO-CHIRVRGICAS

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO DVCE AC DOMINO
DOMINO
CAROLO AVGVSTO
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE ET GVESTPHALIAE REL.
CONSENSV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRAESIDE
ERNESTO ANTONIO NICOLAI
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE
POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS, SERENISSIMI DVCIS SAXO-VINARIENSIS AC ISENACENSIS, SERENISSIMI PRINCIPIS SONDERSHVSA-SCHWARZBVRGICI, SERENISSIMORVM PRINCIPVM DE SOLMS-BRAVNFELS CONSILIARIO AVLICO HORVMQVE ARCHIATRO, COMITE PALATINO CAESAREO, PROFESSORE MEDICINAE PRIMARIO, FACVLTATIS MEDICAE SENIORE, ACADEMIAE ELECTORALIS MOGVNTINAE SCIENTIARIVM VTILIVM ET SOCIETATIS REGIAE BORVSSICAE FRANCOFVRTENSIS VIADRINAE ASSESSORE, ACADEMIAE CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM ET SOCIETATIS ACADEMICAE PRINCIPALIS HASSIACAE SODALI, SOCIETATVMQVE LATINAE DVCALIS IENENSIS ET MARCHICO-BADENSIS, TEVTONICAE IENENSIS SVBLIMIORVM SCIENTIARVM SODALI HONORARIO
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA AC CHIRVRGIA HONORIBVS IVRIBVS AC PRIVILEGIIS RITE OBTINENDIS
DIE XVIII MAII CIↃIↃCCLXXXIIII.
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
IOANNES CONRADVS SCHROLL
SCHOENBERGENSIS

IENAE, LITTERIS STRANCKMANNIANIS.

OBSERVATIO I.

DE TIBIA MAXIMA EX PARTE CARIE PERDITA ET CALLO NOVO SVBNATO RESTITVTA.

SAnno 1775 vocabar ad puerum decem annorum, qui in parte tibiae media levem perpeſſus fuerat contuſionem, quam metuens, ne a parentibus reprehenderetur, celabat, donec in tumorem transibat inflammatorium. Parentes cum egeſtate conflictantes non niſi domeſtica adhibere poterant remedia, quibus malum non levabatur, ſed increſcebat, ut neque conſilii locum haberent neque auxilii copiam. Neceſſitate itaque coacti me accerſerunt. Ego aegri malum oculis perluſtrans integumenta tibiae externa duos pollices ab extremitate tibiae

ſuperiori usque ad extremitatem tibiae inferiorem innumeris ulceribus perforata et his incumbentem et digiti fere latitudine eminentem carnem luxuriantem rubicundam, fungoſam, facile ſanguinem fundentem deprehendi. Aderat quoque in parte affecta ingens dolor, qui tactu externo increſcebat, ſtrepitum etiam audiebam, cum digito hanc partem tangerem. Quae omnia mihi certum praebebant ſignum, perioſteum eſſe ſolutum et cariem tibiae ortam. Statim igitur rite facta inciſione eiusque ampliatione omnia haec ulcera in unum vulnus redegi. Quo facto tibiae ſuperficiem internam et externam carie corroſam et in varia fruſta, quorum maxima digitum lata et longa erant, diviſam inveni. Soluta fruſta, ne irritationem excitare poſſent, extraxi, et carnem luxuriantem ab initio mercurio praecipitato rubro conſperſi, vt illam conſumerem, interdum vero unguentum applicavi digeſtivum, ut blanda ſuppuratio inde oriretur, reliquas vero corroſas tibiae partes eminentes partim radendo, partim inſperſo pulvere euphorbii penitus ſeparare ſtudui, donec omnia pura eſſent, quo facto reliquam conſolidationem inſpergendo pulverem maſtiches et myrrhae et imponendo linteum carptum ſiccum penitus perfeci. Praeterea praeſcripſi purgan-

tia

tia ex pulvere radicis jalappae et mercurio dulci compoſita, decoctum ex radice bardanae et ligni juniperi, et diaetam vegetabilem. Quibus remediis ſuffulta natura os tibiae maxima ex parte carie perditum callo producto perfecte reſtituit et aeger poſt quatuor menſes priſtinam recuperavit valetudinem.

Epicriſis.

§. I.

Extremitatum corporis humanii oſſa et in diaphyſibus et in articulis variis violentiis externis expoſitae ſunt, quae non ſolum manifeſtas fracturas, luxationes et contuſiones, ſed minus etiam apparentes laeſiones producunt, quae, ſi diutius latent, non leves ſaepe oſſium corruptiones inducunt. In partium externarum, quibus oſſa ſubiacent, contuſionibus validis non humorum ſolum fiunt extravaſationes, ſed ipſum etiam perioſteum ab oſſibus ſeparatur idque et horum ſubſtantia laeditur, qua de re prudentis chirurgi officium eſt, in eiusmodi violentis contuſionibus non ſolum ad fluidorum extravaſationes, ſed ad etiam ipſum os vel in perioſteo vel in ſubſtantia laeſum reſpicere et inprimis disquirere, num extra vaſa miſſus humor ſub cute tantum in tela celluloſa, an ſub perioſteo a ſuperficie oſſis ſeparato haereat et

 cor-

corrumpatur. Quodſi facta contuſione magna ſanguinis copia ex vaſis motus fuerit, promta inciſio eſt facienda, tum, ad internarum partium et oſſis laeſionem detegendam, tum, ad fluidum extra vaſa conſtitutum removendum, et, ſi profunde haerent extra vaſa conſtituti humores, acceleranda quoque eſt inciſio, ne humores corrumpantur et corrupti clandeſtine proſerpant et eroſiones profundas efficiant. In levibus contuſionibus diſcuſſio eſt tentanda, et, ſi haec obtineri nequit, ſuppuratio promovenda. Quod cum in caſu memorato neglectum fuerit, non potuit non humorum corruptio et tibiae caries exinde naſci.

§. III.

Eam potiſſimum ob rationem hanc adduxi obſervationem, ut exinde appareat admiranda vis naturae reparatrix. Vulgo notum eſt, magnas cutis jacturas reparari, etiam cum ſenſu, ſive a gangraena deſtructa fuerit, ſive per violentiam avulſa. Etiam lingua reparatur, quae abſciſſa fuerat, et reſecti naſi particula, brachium profunde inciſum et digitus pene reſectus convaluit et urethrae canalis et abdomini ſua integumenta et nova oculi cornea membrana a natura redduntur. Haec et plura eiusmodi

ex-

exempla invenies apud Perillufirem de HALLER Elem. Phyfiol. Tom. VIII. p. 162. Quid? quod nervos, ex quibus fruftum exfectum eft, regenerari et regeneratos functiones fuas exercuiffe, non fine admiratione legi in illuftris RICHTERI Bibliotheca chirurg. Vol. V. p. 122. Mirandum igitur non eft, offa etiam feparata aut carie deftructa reftitui. Integra, fi fracta fuere, eorumque fragmenta denuo natura materia alba vifcida, quam callum vocant, neque folum offa fracta in fedem fuam recte reftituta aut adverfa, fed etiam oblique inter fe coniungit, id quod variis modis fieri autopfia docet, dum non modo maiorem minoremque, tumidiorem aut magis extenuatum, laevem, aequalem afperumque callum, fed et varios huius ac mirabiles quandoque excurfus, nunc transverfos, nunc furfum deorfumque vergentes, rectos, flexos intortosque reperimus. Omnis vero callus ab initio mollis eft et flexilis, poftea fenfim denfatur et cogitur, ita quidem, ut raro minorem, fed eandem fere femper cum offe ipfo habeat duritiem, quandoque et maiorem, de quo vide Perilluftris VAN SWIETEN Commentar. §. 354 et PLATNERI Inftitut. chirurgiae §. 1236.

§. III.

Non eadem eſt omnium medicorum de modo, quo fractorum oſſium integritas reſtituatur, ſententia. Plurimi id ſucco per oſſa moto et effluente, poſt coacto et indurato, quem callum vulgo vocant, confici arbitrantur, ad quorum ſententiam ego etiam accedo. Diligens rerum naturalium ſcrutator, celeberrimus DV HAMEL, qui magnum ſtudium multamque operam collocavit in inquirenda ratione, qua oſſa fiant, increſcant, morbos varios patiantur et ex his denuo ſaneſcant, inſtitutis hunc in finem variis experimentis, rationem coniunctionis oſſium fractorum non in effuſo aliquo et denſato humore, ſed in producta tumeſcente membrana, qua oſſa veſtiuntur, perioſteum vocant, quaerendam eſſe contendit, illuſtris vero BOEHMER in Proluſ. acad. de oſſium callo variis argumentis, quae enumerare nec inſtituti nec ſpatii ratio permittit, celeberrimi du HAMEL ſententiam refutavit et oſſibus fractis renaſcente callo integritatem reddi probavit. Idem modo laudatus BOEHMER varia adduxit in ſcripto citato exempla, quae maiora et longiora oſſium fiſtulatorum fragmenta ſeparata renataque fuiſſe docent, et plures eiusmodi caſus ex medicorum ſcriptis allegavit de tibiae oſſe, quam de aliquo quocunque,

ſive,

ſive, quod frequentius laeditur ceteris, ſive quod in eo ſanatio facilius ſuccedit, inprimis, ſi integrum ac illaeſum fibulae os manſerit. Multasque variasque obſervationes de iis, quibus os tibiae, ſi non integrum, attamen maxima ſui parte vel haud exigua corruptum, ſeparatum, extractum renatumque fuit, meae ſimillimas ex ſcriptis virorum fide digniſſimorum quorum magna apud medicos eſt auctoritas, in citata proluſione p. XXI. collegit ipſeque addidit aliam de magno ex integra fere tibia fragmento ſeparato, quo extracto et ex artis praeceptis purgato vulnere membroque deligato contigit tandem, vt renaſcente callo prior integritas firmitasque cruri feliciter redderetur.

§. IV.

Etiam in femoris oſſe, etſi raro, interdum tamen eiusmodi felices curationes factas eſſe, refert illuſtris Boehmer in citata Proluſione p. XXII. Carolvs quidem Battvs *a)* auctor eſt, militi cuidam femoris os abſceſſu corruptum ſublatum ita fuiſſe, vt ipſe perſanatus poſtea incedere, ſaltare et munere militari defungi poſ-

a) Chirurg. Tr. IV. cap. 8. p. 273. conf. et *van der Wiel.* Obſerv. p. 392. A *Meeck'ren* obſerv. medico-chirurg. cap. 69. p. 332.

fet. Quodfi autem de toto femore res dubia videatur atque illius viri fides fufpecta, fecus tamen erit in eo, quod HVBERTVS KOCCHIVS *b)* ad HENRICVM VAN ROONHVYSEN praeftantiffimum quondam artis magiftrum perfcripfit icone addita, quo, praeter plura minora fragmenta, etiam magnam offis femoris partem in virgine octodecim annorum feparatam nafcenteque callo integre reftitutam fuiffe docemur; inprimis, cum ei fimillimum ab ISBRANDO DE DIEMEREROECK *c)* commemoratum legamus et alio denuo exemplo confirmatum, quod nobis propofuit IO. MAVRITIVS HOFFMANNVS *d)*. Quaedam mirabilia fimilium fanationum genera, quae in humeri offe fuerunt animadverfa, enarravit illuftris BOEHMER in Prolufione citata p. XXIII.

§. V.

Plura eiusmodi exempla, vbi offium longorum partes mediae corruptae, naturae vi fepa-

b) vid. HENRICHS van ROONHVYSEN Hiftorifcher Heil-Curen. 1 Buch pag. 217 fqq. Nürnberg 1764. 8vo.

c) Vide WOLFFII Obfervat. chirurgico-medicar. Lib. II. obf. 18. p. 212. Quedlinb. 1704. 4to.

d) Ephem. Acad. Nat. Cur. Dec. III. ann. IX et X. obf. 176. p. 310 feqq. Fig. 28. Etiam exemplum notatu dignum propofuit GVIL. FABRICIVS HILDANVS Obfervat. chirurg. Cent. IV. obf. 91. p. 370. Oper.

paratae et callo ita reſtitutae fuerunt, vt membri priſtina longitudo ſupereſſet, apud Auctores et in Adverſar. medico-practic. Volum. III. P. I. p. 54. relata legimus. Sic enim, vt eos tantum commemoremus, qui extracta oſſium fragmenta figuris delinearunt, fruſtula eiusmodi tibiae depingere curarunt TH. BARTHOLINVS *Actis Hafnienſ.* Vol. III. p. 1. et tab. I. fig. I. MAVRITIVS HOFFMANVS in Append. ad Ephem. Nat. Curioſ. Cent. IX et X. p. 458. tab. I. *Edinb. Med. Eſſ. and Obſerv.* Tom. I. p. 238 n. 23. tab. IV. fig. 1. 2. CORN. TRIOEN *Obſ. med. chirurg. faſc.* p. 123. tab. VIII. fig. 2 et 3. ante laudatus BOEHMER Proluſ. citata fig. I. Quibus addi meretur obſervatio illuſtris TRILLERI in Diſſertatione de mira naturae ſolertia in reparandis damnis, corpori humano illatis, p. 23. communicata. Femoris fragmenta naturae vi reſtitutae delinearunt H. VAN ROONHUYSEN in *heelkundige Anmerkungen* p. 231 ex litteris HVBERTI KOK. I. M. HOFFMANN in Ephem. Nat. Curioſ. Dec. III. anno IX et X obſ. 176 p. 310. fig. 28. Quibus exemplis notatu digna obſervatio in *Lond. Med. Inqu. and Obſerv.* Vol. II. p. 299 relata, conf. *Comment. de rebus in ſcientia naturali et medic. geſtis* Vol. XII. p. 460. addi meretur. Oſſis humeri portionem reſtitutam

tam delineari curavit CAJET. TACCONI in *opusculo de nonnullis cranii ossiumque fracturis eorumque conjunctione p. 26.* seq. et tab. II. et ill. BOEHMERVS l. c. pag. 24. fig. 3. 4. 5. 6. Plures observationes ex variis scriptoribus collectas apud celeb. Boehmerum l. c. pag. 17. 22. 24. seq. TRILLERVM pag. 23. et I. I. BAIERVM *in Diss. de callo ossium* p. 11. seq. invenies. Egregia exstat in *Adversar. medic-pract.* Vol. III. P. I. p. 45. Tractatio de diaphysibus ossium cylindricorum laesis exfoliatione separatis et callo restitutis. Omnes vero isti, quos adduxi, casus possunt sufficere ad probandam mirabilem illam naturae vim ossa carie corrupta et destructa restaurandi ope nascentis calli, cuius convenientia cum fractorum ossium callo manifesto apparet. Ad molliorum partium vulnera carne replenda et consolidanda sufficere succum ex ipsis exsudantem nutritium concedunt omnes, cur non et in ossibus idem fieri posse adfirmem? sive fracta sive cacarie destructa sint, cum per vasa eorum succus fluat, qui condensari, indurari et in os mutari potest.

OB-

OBSERVATIO II.

DE

INGENTIS STEATOMATIS IN SVO ORTV IAM LAPIDEI EXSTIRPATIONE.

Foemina triginta octo annos nata a me petiit, ut eam ab ingenti ſteatomate liberarem, quod ortum duxerat ex levi preſſione, quam ante octo annos in media claviculae dextrae parte perpeſſa fuerat et quam levis dolor et valde exiguus tumor ſequebatur. Applicavit parti affectae ſuaſu aliorum empluſtra refrigerantia, ex quorum vſu dolor quidem penitus remittebat, nulla vero tumoris mutatio ſequebatur, id quod tamen non curabat aegrota. Elapſis vero duobus abhinc annis hic tumor increſcere coepit, ita, ut ſub cute a clavicula figura pyri ſuper muſculos ſcalenos, omohyoideum et trapezium ſe diffunderet et totam ſcapulae peripheriam occuparet, quo aegrota cogebatur, auxilium quaerere, quam ob cauſſam varios medicos variaque remedia tam externa quam interna, emollientia et diſcutientia, immo mercurialia usque ad ſalivationem excitandam adhibuit, ſed ſine omni ſalutari effectu. Operationem abhorruit, donec onus hoc tantum cepit incrementum, vt id amplius perferre non poſſet, qua de re me

ro-

rogavit, vt iſtum tumorem exſcinderem. Ego metuens, ne ex exſtirpatione tanti tumoris vehemens febris vulneraria oriretur, primum primas vias leniter laxante remedio purgavi, et ut conveniente diaeta uteretur aegra, praecepi, deinde tamorem iſtum ſub cute in tela celluloſa ſedentem tribus vicibus, primum unam, deinde alteram, tum tertiam partem exſcidi, ne ſemel peracta operatione nimia oriretur irritatio. Tumor iſte exſciſſus conſtabat ex lardo et ponderabat ſeptem libras et circa originem magnitudine nucis iuglandis erat lapideus pumici ſimilis. Deligavi vulnus ſolutione vitrioli de Cypro ad haemorrhagiam ſiſtendam ac poſtquam reſtantem folliculum uſu aluminis uſti et digeſtivorum abſtuli, unguento cerato ſaturni et tandem linteo carpto ſicco applicato conſolidavi. Aegrota diebus quatuor prioribus poſt operationem mediocriter ſe habuit, ita, vt ambularet, poſtea vero errore diaetae commiſſo, cum duros cibos aſſumſiſſet et magnam refrigerationem paſſa fuiſſet, vehemens orta fuit febris vulneraria cum diarrhoea, contra quam die primo et ſecundo pulverem rhabarbari cum nitro et exigua radicis ipecacuanhae quantitate et decoctum hordei cum cremoris tartari debita quantitate loco potus ordinarii adhiberi juſſi, a quorum

reme-

remediorum vſu diarrhoea remittebat, febris vero adhuc durabat, quam infuſo corticis chinae cum vino rubro praeparato curare ſtudui, id quod etiam ex voto ſucceſſit, ita, vt aegrota ſpatio quinque hebdomadum in integrum eſſet reſtituta.

Epicriſis.

In partibus corporis humani externis ſaepe oriuntur tumores, qui tunica includuntur, a parvulo incipiunt et diu paulatimque creſcunt. Sedem ſuam habent in tunica celluloſa et adipoſa, quare non rarum eſt, illos etiam in interioribus partibus et viſceribus oriri. Vocantur eiusmodi tumores tunicati et pro materiae incluſae indole, ſi melli et cerae eſt ſimilis, meliceri des, ſi pulti, atheromata, et, ſi adipem vel pingue quoddam continent, ſteatomata appellantur. Cum vero cellularum oleo plenarum contextus non ſub cute ſolum ſed etiam in viſceribus et partibus internis reperiatur, non in externis ſolum, verum etiam in internis partibus et viſceribus oriri ſolent ſteatomata. Legi de his meretur Diſſertatio Io. Theodori Hüser Diſſertatio de ſteatomate Argentorati 1780 et S. L. Savber Diſſertatio de ſteatomatibus in principio Aortae re-

repertis et de cyſticis in genere excreſcentiis Praeſ. Stenzel Wittebergae 1723 habita. Externa ſteotomata, ſi neque diſcuti neque ad bonam ſuppurationem reduci poſſunt, quod difficulter et rariſſime fit, optimum eſt, illa a cute et ſubiecta carne ſeparare. Hoc vero cum ſaepe difficile ſit, vtendum eſt medicamentis, quibus velamentum illud eroditur, validioribus vero opus eſt, qualia ego adhibui. Si enim non alia, quam pus moventia intus in folliculum iniiciuntur, timor eſt, ne hebes putrisque caro increſcat. Si quid ex velamento relinquitur, vel idem accidit, inquit illuſtris PLATNERVS *Inſtit. Chirurg.* ration. p. 487, vel, ſi ulcus ſaneſcit, tumor brevi tempore revertitur. Commendat prae ceteris laudatus Platnerus lapidem infernalem, nec non ſpiritum ſalis ammoniaci cum calce viva velamento admovenda, et ſubinde etiam digerentia applicanda. Ego hoc in caſu alumine vſto et digerentibus felici cum ſucceſſu uſus ſum. Vbi conſumtum omne eſt, vulnus glutinatur. Si tunica eſt durior, ſcalpello prius eſt concidenda et poſt adhibenda memorata medicamenta. Spiritus ſalis ammoniaci admovetur vel penicillo vel ſpecillo, quod lana involutum in velamentum demittitur. Si interne haerent ſteatomata, varios producunt morbos

bos incurabiles; quia non prius cognosci possunt, quam post mortem sectione, nec habent signa propria, quibus ab aliis vitiis et praeternaturalibus constitutionibus partium, discerni possunt.

OBSERVATIO III.

DE CANCRO MAMMAE SINISTRAE FELICITER CVRATO.

Anno 1778 vocatus fui ad feminam plethoricam, biliosi temperamenti, cancro mammae sinistrae exulcerato laborantem. Haec ante quatuor annos in mamma sinistra percussionem perpessa fuit, ex qua parvus nodus oriebatur, quam primo tempore nihil faciebat. Elapsis vero duobus vel tribus annis hic nodus semper increscebat magnitudine et duritie, qua de re aegrota ad eum discutiendum varia adhibebat remedia domestica, sed nihil efficiebant, nodi potius magnitudo et dolor augebantur, donec tandem integumenta rumperentur. Ego in auxilium vocatus deprehendebam mammam in toto suo ambitu induratam, lividam et quasi radios emittentem. Loca, ubi integumenta erant rupta, apparebant nigricantia et fundebant aqueum acrem ichorem. Suadebam aegrotae operationem,

onem, quam vero penitus abhorrebat, rogans, vt potius omnia ad eam vitandam tentare velem. Ego itaque primum largam venaesectionem institui et post hanc medicamentum laxans ex foliis sennae rhabarbaro et sale mirabili, cujus operatione finita seqventibus diebus duodecim grana massae pilularum ex gummi ammoniaco, extracto cicutae et pauxillo mercurii dulcis constantis quotidie sumenda et decoctum ex radice taraxaci cichorei et graminis loco potus ordinarii bibendum et diaetam talem, vt carnem, omnia fumo indurata, salsa, acria, pinguia, dura et concoctu difficilia vitaret, decentemque corporis motum praescripsi. Externe primum vnguentum digestivum simplex ad meliorem suppurationem obtinendam, deinde id cum mercurio praecipitato rubro mixtum, quo saepius usque ad perfectam ulceris depurationem alternabam, adhibui et partibus reliquis mammae induratis emplastrum ex emplastro diachylo composito, de cicuta et oleo tartari foetido confectum imposui. Hac methodo et remediis memoratis internis dolor remittebat, partes mammae induratae dissolvebantur, vt in deligatione interdum integra frusta deciderent, et anno elapso aegrota rediit ad sanitatem.

Epi-

Epicrisis.

§. I.

Cancrum vnum eundemque morbum eiusque caussam proximam vnam eandemque, semper eius faciem eandem, praecipua eius symptomata semper eadem, vno tantum remedio specifico opus habere eoque omnes cancros sanari posse, communis et recepta fuit hucusque medicorum sententia, sed maxime est falsa. Nam cancri indoles et natura non semper est vna eademque, ac variae dantur cancri species, quae adeo a se invicem differunt, vt a variis oriantur caussis variamque postulent medelam. Errant medici, qui omnes vno eodemque remedio omnes cancros sanare volunt, aeque ac isti, qui omnes colicos dolores vno eodemque remedio curari posse contendunt. Saepe maxime dubium est, num malum cancer sit an non, dum id alii negant, alii affirmant, et saepe ulcera pro cancris habentur, quae non sunt tales. Notissima est divisio cancri in occultum et apertum seu exulceratum, sed minoris mihi videtur esse momenti, quia non variam eius naturam sed varium solummodo illius gradum respicit. Majoris momenti mihi videtur divisio cancri in topicum et universalem. Sunt, qui

existiment, occultum cancrum plerumque topicum, exulceratum vero universalem morbum esse, sed hi maximopere errant, quia experientia docet, ipsum primum cancri initium esse subinde vitium universale et contra cancrum vere apertum et exulceratum topicis aliquando sanari remediis. Cancer aut est malum topicum seu locale aut universale. Illud est tunc, si corpus eo affectum ceterum sanum neque cacochymicum est, functiones viscerum integrae, malum ex caussa quadam externa ortum, vel, si sponte natum est, vnam tantum partem non plures occupat. Vniversale malum est cancer, si sub primo statim ortu in pluribus partibus simul apparet vel si primum topicum fuit malum et resorpto ex ulcere pure per totum corpus diffunditur omnesque eius partes afficit. Impar est ars medica diro huic morbo, simulac topicus esse desinit; spes salutis recuperandae non nisi, quamdiu malum locale est, aegro superest. Quemlibet cancrum, etiamsi sub ortu topicus est, sensim, dum adolescit, semper in universalem morbum mutari credo.

§. II.

Dividunt Autores cancrum in mammarum et aliarum partium, corporis humani cancrum, et illum hunc malignitate longe ſuperare perhibent. Cancros aliarum partium tum medicamentis, quam cultro non raro ſanatos eſſe experientia teſte, contra cancrum vero mammarum cultrum parum, medicamenta nil valere, et ſcirrhum partis, quae non eſt glanduloſa, nec tam facile nec tam cancreſcere, quam ſcirrhum partis glauduloſae, eoque minus ſemper auxilii admittere cancrum, quo magis compoſita partis, quam occupat, fabrica glanduloſa eſt, contendit Experientiſſimus D. D. LERCHE in Obſervationibus de cancro Gottingae 1777.

§. III.

Cancrum et ſcirrhum in partibus tantum glanduloſis oriri communis eſt medicorum doctrina, cui vero experientia manifeſte repugnat; utpote quae non raro cancrum et in illis partibus, quarum fabrica glanduloſa non eſt, vt in cute, muſculis, pleura, inteſtinis, utero, vmbilico, femore, veſica urinaria, ortum eſſe docet. Porro tradunt Auctores, cancrum ſemper ex ſcirrho praegreſſo oriri, quod ite-

rum falſum eſt, cum non raro cancer ſine omni ſcirrho praegreſſo ex verruca, aiiquando primum ſub ſpecie eſcharae craſſioris, quae poſt aliquod tempus ſponte decidit, denuo oritur, iterumque decidit et tandem vlcus carcinomatoſum relinquit, ac ſaepe ex levi excoriatione labii oris vel fiſſura ex levi cauſſa orta naſcatur. Neque ſemper cancri, qui ex ſcirrhis oriuntur, eadem eſt indoles neque ſemper eodem modo oriuntur. Aliquando enim ſcirrhus ſtatim poſt ortum, aliquando non niſi poſt plurimos annos, ſaepe etiam nunquam, interdum ſponte, interdum non niſi ex cauſſa externa, e. g. attritu, percuſſione, cancreſcit. Sunt, qui exiſtiment, partium glanduloſarum ſcirrhos facile et celeriter, non glanduloſarum tardius iu cancrum mutari, ſed hi errant maximopere, quia ſcirrhus glandulae parotidis et thyroideae nunquam cancreſcit.

§. IV.

Multas variasque, quas medici de cancro dederunt, definitiones atque deſcriptiones legi acrique judicio perpendi, ſed perfectam omnibusque numeris abſolutam, quae mihi ſatisfeciſſet,

ciſſet, inveni nullam, ita, vt credam, nobis abhuc deficere veram et perfectam cancri definitionem. Ex ſymptomatibus cancri definitionem eius condi non poſſe putarem, tum, quoniam nullum ſymptoma, cuius auctores, qui hunc morbum deſcribunt, mentionem faciunt, tam conſtans eſt, vt eum ſemper comitetur, vt non aliquando deſit in vero cancro, adſit in vlceribus aliis malignis, quae non ſunt cancroſa, tum, quoniam ſymptomata cancri variarum corporis humani partium maxime diſcrepant, id quod optime deſcripſit celeberrimus Bierchen e) Horrendus iſte foetor ichoris cancroſi non ubique obſervatur; dari enim carcinomata celeberrimus Hill monet, quae foetore penitus carent. Sunt, qui ſaniem cancroſam ſemper putridae indolis eſſe contendunt, ſed maximopere falluntur, quia contrariae, id eſt, acidae indolis illam ſaepe eſſe certiſſime obſervarunt auctores, vt Baumbach in diſſertatione de cancro aqua calcis ſanato Goettingae 1769, le Febvre in Tractatu, cui titulus: Remede pour

 gue-

e) Abhandlung von den wahren Kennzeichen der Krebsſchaeden aus dem Schwediſchen überſetzt.

guerir radicalement le Cancér a Paris 1775 et STAHL Diſſertat. de cancro p. 8. Quid? quod ne dolor quidem perpetuum cancri ſymptoma eſt nec fungoſa excreſcentia; obſervati enim ſunt cancri, qui ſe ſupra cutem non elevant et fungoſis excreſcentiis carent.

§. V.

Celeberrimus BIERCHEN l. c. tres cancri ſpecies conſtituit, genuinam, fungoſam et ſcrophuloſam, quas Experientiſſimus D. D. LERCHE in Obſervationibus de canero citatis p. 15. ſeq. ad mentem laudati BIERCHEN ita deſcripſit. Genuinum cancrum vocat hic iſtum, qui plerumque ex ſcirrho inſignis duritiei, magnitudine dimidii vel totius piſi oritur, qui inprimis in junioribus ſanisque mulierculis diu ſaepe eadem manet magnitudine parumque increſcit, et ſubinde chordam tenſam refert. Intumeſcit citius tardiu ſue glandula ſubaxillaris, quo facto medelam omnem reſpuit vitium, rubet tandem ſcirrhus et fiſſurae oriuntur, ex quibus tenuis humor deſtillat. Interna huius cancri ſubſtantia duritie non raro cartilaginem aequat. Simulac ille ſcirrhus dolere incipit, diſcuti ampli-

plius non poteſt, ſolum auxilium a cultro ex pectari poteſt. Aliquando ſub primo ſtatim orta ſcirrhi puncturas in illo ſentit aegra, imo aliquando illa ſentit dolorem in mamma, antequam ſcirrhus apparet. Dolet plerumque ſtatim ſub ortu illa ſcirrhi ſpecies, quae chordae tenſae ſimilis eſt, tardius accedit dolor ad illam, quae rotunda et aequalis eſt et cuius figura amygdalam refert. Alteram cancri ſpeciem Bierchen appellat fungoſam. Afficit haec raro corpora ſicca, ſed plerumque feminas adipoſo et ſpongioſo habitu mammisque praemagnis praeditas. Initium eius aeque ac prioris eſt, incrementum autem celerius; ſaepe enim initium octo vel decem menſes a magnitudine nucis avellanae ad volumen capitis virilis increſcit. Mamma, quam occupat, fungo ſimilis evadit et pluribus mollioribus fuſcis tuberculis obſidetur et nodis, qui aperti tandem et exulcerati ſanguinem et aquam plorant. Tumor cancroſus plurimis plerumque in locis eroditur et ex ortis orificiis fungus emergit profunde rubens ſimilis ſubinde uvae. Tam ingentem copiam ihoris vlcus plerumque eructat, vt viderit celeberrimus Bierchen ad

 ter-

terram defluere ſaniem lectumque, in quo noctem transegerat aeger, totum madefactum. Fungus ille cancroſus plerisque in locis cartilagineae duritiei eſt et tam ingentis ſaepe voluminis, ut viderit celeberrimus BIERCHEN mammam hac cancri ſpecie afflictam ad vmbilicum usque propendere. Tertia cancri ſpecies, quam BIERCHEN ſcrophuloſam appellat, oritur a cauſſa interna et ex proprio ſuo ſemine, in quo ei videtur latere venenum venereum degeneratum. Frigidiſſimae plerumque naturae ſunt tumores ſcrophuloſi, parum dolent et per totam non raro vitam haud mutantur. Cancer, qui ex illis oritur, curatu difficillimus eſt, immo plerumque omnem medelam reſpuit. Iuvat aliquando, quando morbus adultus non eſt, culter vel uſus internus externusque mercurii, ſi vero iam incrementa cepit malum, nil contra illud haec valent remedia et redit plerumque poſt uſum cultelli. Bene a prioribus duabus cancri ſpeciebus, quae mercurium non ferunt, cancer ſcrophuloſus diſtinguendus eſt, qui mercurium non ſolum fert, ſed etiam requirit. Scirrhus ſcorphuloſus ab aliis ſcirrhis non differt,

fert, nisi quod minus durus sit nec doleat. Pessimus plerumque est aegroti corporis habitus. Mamma hoc scirrho obsessa sensim evadit livida, dura, polita, firmiter musculis et costis adhaeret et versus centrum vel unum alterumque latus in unum quasi nodum contrahitur. Tumor iste scirrhosus ex variis plerumque constat minoribus tumoribus, facile a se invicem distinguendis vel inter se coalitis. Haec tubercula ad axillam plerumque ascendunt, eroduntur et in ulcera mutantur, crassiori eschara obtecta. Aeger a primo morbi initio plerumque oculis inflammatis palpebrisque exulceratis laborat et facie praeditus est tumida, pallida.

§. VI.

Magis mihi placet cancri in putridum, acidum, venereum et atrabilarium divisio, quam dedit Experientissimus D. D. LERCHE in Observationibus citatis de cancro p. 18. seq. In plerisque cancris eiusmodi occurrunt symptomata, quae putredinem manifesto demonstrant, inter quae eminet potissimum foetor ille cadaverosus abominabilis, qui omni ciborum appetitu, immo tandem olfactu et gustu aegrum privat.

Eius-

Eiusdem indolis eſt frequens et vix coercendum ſanguinis putridi diſſoluti ex ulcere cancroſo profluvium, et externus vlceris habitus lividus, ſanguinolentus, ſpongioſus et diſſolutus. Etiam remedia antiſeptica, quae in cancris ſaepe profuiſſe eosque vel ſanaſſe vel mitigaſſe vel eorum tranſitum in ſtatum deteriorem impediiſſe auctores teſtantur, putridam eorum indolem ſatis manifeſtant, immo celeberrimus PEYRILHE in diſſertatione de cancro primarium cancri characterem quaerit in putredine eumque non niſi remediis putredinem ſiſtentibus curari poſſe contendit.

§. VII.

Quamvis plerique cancri putridae ſint indolis §. VI, id tamen de omnibus praedicari non poteſt; occurrunt enim cancri alienae, immo contrariae indolis. Per experientiam conſtat, a concro oſſa corrodi et fragilia reddi, quod plerumque ab acrimonia acida vt cauſſa oritur, et ulcera cancroſa interdum ſpargere odorem acidum. Experientiſſimus D. D. BAVMBACH peſſimum labii cancrum et cancrum occultum mammae ſolo aquae calcis vivae uſu interno ſana-

ſanavit, de quo conferenda diſſertatio hoc de hoc argumento edita, et vidit, ſaniem cancroſam, cui oleum tartari per deliquium affodit, effervuiſſe. STAHLIVS in Diſſertatione de cancro cap. 1. haec habet: acor ulcerationis cancroſae, praeprimis, quando valde affluit, adeo manifeſte ſe exhibet, ut etiam ferramenta rubigine inficiat, immo cum inſperſis abſorbentibus interdum efferveſcat. Celeberrimus LE FEBVRE *f*) ſaniem cancroſam ſyrupo violarum admixtam huius colorem coeruleum mutaſſe in rubrum et cum ſollutione ſalis alcalini effervuiſſe vidit, monet vero, ut ſuccedat experimentum, ad id ſaniem ſtatim, ſimulac ex ulcere cancroſo deſumta eſt, adhibendam eſſe. Quae omnia luculenter indolem ulceris cancroſi acidam manifeſto demonſtrant.

§. VIII.

Occurrunt interdum cancri, qui venereae ſunt originis et mercurio ſanantur. Per experientiam quoque conſtat, vlcera venerea perverſa tractatione et curatione mutari in cancroſa et curatu difficillima. Exempla cancrorum mer-

f) in Tractatu: cui titulus: Remede pour guerir radicalement le Cancer à Paris 1775.

mercurio curatorum reperiuntur in illustris RICHTERI *bibliotheca chirurgica* Vol. II. Parte IV. p. 130 et apud Celeb. AKENSIDE g), qui tres cancro mercurio, cicuta et china curavit. Recte judicat Experientissimus D. D. LERCHE in Observationibus de cancro §. 16 scirrhum, quem Celeb. BIERCHEN vocat scrophulosum et cui venenum venereum degeneratum subesse, et, nisi iam adoleverit, mercurium mederi contendit, maiori jure venereum esse appellandum.

§. IX.

Veteres medici semper fere atram bilem tanquam scirrhi et cancri caussam accusaverunt, immo GALENVS Method. medendi ad Glauconem Lib. II. 12. Charter. Tom. X. p. 389 exinde solummodo cancri originem deducit, quando atra bilis in corpore haerens neque per haemorrhoides vel varices evacuatur neque ad cutim propulsus ad alias corporis partes defertur atque in hac opinione confirmabatur, dum in partibus sic affectis venae atro et crasso sanguine plenae conspiciebantur. Extra omnem dubitationem positum est, scirrhos ab atra bile

sae-

g) Medical Transactions Vol. I. p. 86.

ſaepiſſime oriri, quia ad ſtagnationes maxime prona atque apta eſt. Quamdiu in ſcirrho ſtagnans materia non corrumpitur, ſcirrhus per multos annos absque incommodis tolerari poteſt, ſi ea exceperis, quae ex eius pondere vel preſſione partium adjacentium oriuntur, ſi vero accedente cauſſa externa vel interna in materia in ſcirrho haerente corruptio oritur, in cancrum abit.

§. X.

Si cancer iam eo malignitatis pervenit, vt integumenta exedat ſaniemque fundat, cancer apertus ſeu exulceratus vocatur. Nec vero ſubito et ſemel tantum integumenta rumpi collectumque ichorem exire docuit experientia, ſed cutem aeque ac cuticulam erodi et ſic eam ſenſim depaſcendo cancrum ſibi viam parare, per quam poſtea ipſa illius ſubſtantia transeat. Sic cancri per ipſam fiſſuram prorumpentis volumen expanditur, labia calloſa, dura, livida vel nigreſcentia inveniuntur et vlcus horridum conſpiciendum praebent. Ejusmodi vlcera acerrimam ſaniem fuſco flavum vel virideſcentem ſtillant, et, quamvis aliquoties obſervatum fu-

erit,

erit, effluentem ichorem omni prorſus foetore et acrimonia caruiſſe, ſenſim tamen ſenſimque acrimonia augetur, quae interdum tanta eſt, vt linteamenta aquae fortis inſtar exedat. Mirandum igitur non eſt, ab ea vaſa ſanguifera et nervos corrodi, vt inde haemorrhagiae, interdum letales, et acerbiſſimi dolores oriantur, tandemque poſt ſummas miſerias diu toleratas optata inter diros cruciatus mors omnibus his malis finem imponat. Etiam ſunt varia, quae pro diverſo loco affecto contingere morbique faciem mutare poſſunt. Sic non raro obſervatum fuit, in quibusdam cancri ſpeciebus vaſa nec turgida nec varicoſa fuiſſe, prout locus affectus vaſis venoſis maioribus plus minusque abundaret. Haemorrhagiae etiam, in cancro frequentiſſimae, pro vaſorum vicinorum majore vel minoreve magnitudine plus minusve corpus exinanire mortemque accelerare poſſunt.

OB-

OBSERVATIO IV.

DE EXSTIRPATIONE SCIRRHI IN LATERE LINGVAE SINISTRO SVB ORIS MEMBRANA INTERNA ET SVPER MVSCVLVM HYOGLOSSVM SITAE.

Anno 1779 in consilium vocatus fui a foemina sexaginta annorum, quae scirrhum in latere oris sinistro juxta linguam et maxillam inferiorem super musculum hyoglossum et sub membrana oris interna haerentem habebat. Tantus erat, vt linguam ex ore propelleret et aegra distincte loqui et decenter edere non posset. Accurate hunc tumorem inquirens radicem eius non tam latam, quam reliquam partem, nec vasa ei propria deprehendi, qua de re suasi operationem, quam etiam die proxime sequente suscepi felici cum successu. Parva sequebatur haemorrhagia, quam sistebam aceto vini cum pauxillo mellis mixto, et reliquam curationem liquamine myrrhae cum melle rosarum mixto perficiebam, ita, vt aegra quatuordecim dierum spatio in integrum esset restituta. Genesi huius scirrhi occa-

 sionem

ſionem dedit puſtula, quae in ore ante quatuor annos orta fuit. Hanc aperuit aegrota, quo facto ab initio mucus albus albumini ovorum ſimilis effluebat, ſaepius iterum inſtituit hanc apertionem, tandem vero haec puſtula coepit dureſcere et in ſcirrhum abiit, qui ad tantam magnitudinem increvit, vt exſtirpatus vnciam integram et dimidiam ponderaret.

Theſes

THESES

I.

Opium non ſemper ſedat ſpasmos et dolores.

II.

Phthiſis ſaepe eſt contagioſa.

III.

Vſus legitimus mutat venenum in medicamentum et illegitimus medicamentum in venenum.

IV.

Vnus idemque nervus ſimplex non poteſt eſſe ſimul ſentiens et movens.

V.

Diabetis cauſſa proxima non ſemper eſt renum laxitas et atonia, ſed ſaepe membranae renes proxime inveſtientis ſpasmus.

VI.

Menſtrua muliebria non ex utero ſolum ſed ex eius vagina etiam oriuntur a ſola plethora particulari et periodica uteri partiumque adjacentium.

VII.

VII.

Medicamenta terreſtria non ſunt inertia et inutilia.

VIII.

Sanguis in inflammatoriis febribus reſolvitur et reſolutione inſpiſſatur.

IX.

Remedia antivenerea virus venereum non alterando, ſed evacuando agunt.

X.

In fluxu coeliaco non ſemper pituita, ſed interdum chylus excernitur.

XI.

Vſus hirudinum non ſemper conducit in ophthalmiis.